

Zeitschrift: Divus Thomas
Band: 4 (1917)

Artikel: De natural inspirationis S. Scripturae [Fortsetzung]
Autor: Jácome, Innocentius M.
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-762560>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 06.03.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

DE NATURA INSPIRATIONIS S. SCRIPTURAE

Scripsit FR. INNOCENTIUS M. IÁCOME O. P.

(Sequitur vol. II, p. 308—354; III, p. 190—221)

TERTIA PARS**De inspiratione in se ipsa****I. De agente principali**

93. Deus est auctor S. Scripturae principalis. — Fides catholica omnino docet Deum esse Sacrarum Litterarum auctorem, ut iam perspicui potest in doctrina divinitus Iudaeis praestita atque in ipsa Scriptura Divina; SS. Patres vero id apertissime profitentur; Ecclesia demum omnibus aetatibus inde a priscis temporibus in suis monumentis tantam rem litteris consignavit¹. Auctor autem Deus est profecto principalis, cui homines scriptores se subiiciunt tanquam instrumenta. Quod cum ita sit, patet principium, quo Deus scriptores sacros impellit, cunctis ornari proprietatibus omnium agentium principalium communibus²; eoque esse quid proprium intimum in divina natura haerens, utpote ipsa forma Dei seu ipsa essentia divina.

94. Soli Deo convenit esse principale Scripturae agens. — Id plane ex eo intelligi licet, quod homo est Sacrorum Librorum instrumentum; hoc enim nemo prorsus nisi unus Deus uti valet. Nam omne instrumentum necesse est moveri secundum modum naturae cuiusque consentaneum; iam nunc homo est mente liberaque voluntate praeditus; incitari igitur debet motu animi voluntario³. Atqui in potestate Dei solum est hominum voluntatem movere⁴. Ergo Deus tantummodo potest hominem tamquam instrumentum adhibere. Hoc ipsum magnopere confirmabitur, si in medio ponatur praeclara Angelici Doctoris doctrina, quae praecipit hominem in omnibus suis actionibus esse Dei instrumentum⁵, atque ex eo hoc concludit. „Omnis igitur operatio debet attribui Deo sicut primo et principali agenti⁶.“ Sed, ut ad inspirationem Scripturarum veniamus, est animadvertendum hominis actiones sive ad ordinem naturalem pertinere sive elevari supra hunc ordinem; ex quo efficitur motiones Dei ad utrumque genus conformari, atque in nu-

¹ Cf. nr. 5, 9, 17, 23 et seq. — ² Cf. nr. 47. — ³ Cf. nr. 49. —
⁴ I, II, Q. IX, a. 6. — ⁵ Cf. nr. 42. — ⁶ Sum. c. Gent. Lib. III, c. 67.

mero motuum naturalium aut supernaturalium esse habendas, propterea quod motiones sunt eiusdem generis effectuum. Actiones autem hominum supra rerum naturam positae oriuntur tum a gratia gratum faciente tum a gratis data. In illis Deus movet per formas proprias in animum infusas; in aliis vero nulla adest forma sed capacitas tantum ut quis sublevetur. Huiusmodi est inspiratio viris sanctis concessa, cuius ope conficitur effectus penitus divinus, Scriptura nempe coelestis, quae magnitudine divinae auctoritatis, qua pollet, reliquos obruit libros virtute naturae exaratos. Hac via quoque ad illud pervenimus quod quaerebamus, Deum scilicet solum fas esse Libros Sacros velut agens principale componere, quia nulli rei creatae est facultas conficiendi forma propria viribusque naturalibus opus in regione divina et supernaturali situm.

95. Qualia sint principia actionis divinae. — Illud quod principaliter aliquam rem exsequitur, formam habet propriam, quae si sit principium actionis remotum, haec erit ipsa agentis essentia; si vero proxime contingat rem ad quam defert influxum, tunc facultas sive potentia vocatur¹. Haec sunt ad Deum, agentem Scripturae principalem, traducenda. Atque in eo revera reperiri possunt essentia, plura attributa actioque divina. Attributorum autem quaedam ad actum spectant, cuius modi sunt scientia, providentia, omnipotentia²; sed attributum illud, cuius opera Deus inspirat, nihil est aliud nisi potentia, quoniam „potentia importat rationem principii exequentis id quod voluntas imperat et ad quod scientia dirigit³“, seu „de ratione potentiae est quod sit principium agendi in aliud⁴“. Iam vero soli Deo praecipuum est ut potentia sua idem sit re ac essentia, quemadmodum Divus Thomas inquit: „Dei potentia, quae est operationis principium, est ipsa Dei essentia⁵“. At actio quoque non differt in Deo a propria eius essentia, ut ibidem Sanctus Doctor inducit: „in solo Deo operatio est eius substantia.“ Haec duo alio loco ipse Angelicus hoc modo coniungit et huius rei rationem affert acutam: „Actio Dei non est aliud ab eius potentia, sed utrumque est essentia divina; quia nec esse eius est aliud ab eius essentia⁶“. Deus igitur, agens principale inspira-

¹ Nr. 47. — ² Cf. Billuart, Sum. S. Thomae. Paris 1904. Tom. I, p. 50. — ³ I, Q. 25, a. 1, ad 4. — ⁴ I, Q. 8, a. 3, ad 3. — ⁵ I, Q. 77, a. 1. — ⁶ I, Q. 25, a. 1, ad 2.

tionis, talis est ut in eo et essentia et potentia, qua foras agit, actioque ipsa sint re unum atque idem.

96. Actio Dei est formaliter immanens atque virtualiter transiens. — Et esse quidem immanentem S. Thomas ostendit hoc pacto: „Secundum Philosophum duplex est actio. Una quae manet in agente, et est perfectio ipsius, ut videre; alia quae transit in exteriora, et est perfectio facti, sicut comburere in igne. Divina autem actio non potest esse de genere illarum actionum, quae non sunt in agente, quum sua actio sit sua substantia. Oportet igitur quod sit de genere illarum actionum quae sunt in agente et sunt quasi perfectio ipsius¹.“ Non decet igitur sic cogitatione actum fingere divinum, ut esset aliquid inter agentem interiectum et id quod impulsionem patitur; hoc quidem modo fit apud mortales et cetera creata, non vero in Deo, qui quamvis agat, retinet actionem in sua essentia, nec est inter eas quiddam quod intersit. Effectus nihilominus actione divina foris perficitur; quare S. Thomas: „Potentia in rebus creatis, ait, non solum est principium actionis, sed etiam effectus. Sic igitur in Deo salvatur ratio potentiae quantum ad hoc quod est principium effectus; non autem quantum ad hoc quod est principium actionis, quae est divina essentia².“ Ex his quae dicimus apparet actionem Dei, eo quod effectum revera molitur, appellari virtualiter transeuntem; virtute enim transit ad opus efficiendum; sed eadem dicitur formaliter immanens, ea re, quia non relinquit essentiam, immo est eadem essentia. Cum igitur de inspiratione agitur, opus est dicere divinam actionem restare formaliter immanentem; attamen, quatenus ea virtualiter transit, movere, sublevare sacrum scriptorem, eique adstare³.

97. Deus ut agens principale debet contingere instrumentum. — Notio enim agentis principalis postulat ut instrumentum quodam modo coniungatur cum agente, secus non valeret ullo modo recipere motionem aut perfectionem⁴. Sed in hac quoque causa longe distat ratio Dei a modo ceterarum rerum caducarum. Etenim Deus est in omni existente inducendo esse, et conservando inductum; esse enim est effectus proprius solius Dei. Quia vero „esse est illud quod est magis intimum cuilibet, et

¹ Sum. c. Gent. Lib. II, c. 23. — ² I. Q. 25, a. 1, ad 3. — ³ Cf. P. Zanecchia O. P., *Scriptor Sacer*, Romae 1903, p. 25—29. — ⁴ Cf. nr. 74.

quod profundius omnibus inest, cum sit formale respectu omnium quae in re sunt¹; ideo hoc existimat S. Thomas: „oportet quod Deus sit in omnibus rebus et intime²“. Actio autem esse possidet; sed cum „nec aliquid agit ad esse nisi per virtutem Dei; ipsum enim esse est communissimus effectus, primus et intimior omnibus aliis effectibus; et ideo soli Deo competit secundum virtutem propriam talis effectus³“; ex hoc sequitur Deum moventem res creatas ut agere possint, in omnibus adesse actibus et naturalis ordinis et supernaturalis. Sed ubi sistit actio Dei necesse est adstare simul et eius natura. Quam ob rem divina essentia et huius virtus, nullo interiecto, insunt in illo quod agit; et hic quidem modus adstandi dicitur praesentia immediate actionis suppositi et virtutis⁴; nec ulli alii convenit nisi uni Deo, ut inquit S. Thomas: „nullius agentis quantumcumque virtuosus actio procedit ad aliquid distans, nisi inquantum in illud per medium agit. Hoc autem ad maximam virtutem Dei pertinet quod immediate in omnibus agit⁵“. Neque punctum temporis aliquod inter actionem Dei motumque rei impulsae interponitur, quia idem est actus moventis et moti, quamquam actio divina praecedat ratione et causa. Quum igitur Deus Scripturam inspirans praesto sit intellectui, voluntati, imaginationi ceterisque facultatibus exsequentibus, quam maxime eum illis coniungitur immediate actione suppositi et virtutis.

98. Deus praesens exstat usquedum compleatur. — In natura instrumenti positum est quod hoc nihil omnino agat nisi motu virtuteque illius qui principaliter opus struit; propterea consentaneum est agentem motum et virtutem instrumento impertiri dum effectum absolvit⁶. Age porro, scriptor sacer est Dei instrumentum ad Sacrorum Librorum conscriptionem; eoque ipso omnia ea quae Libros Divinos constituunt, ille instrumentaliter tractat. Deus ergo, quippe qui agens sit principale, tenetur munere adstandi sancto scriptori, eidemque motionem ac virtutem elargitur, donec universa conficit ex quibus Scriptura constat.

¹ I, Q. 8, a. 1.

² Q. D. De Potent. Q. 3, a. 7.

³ Cf. Caietanus, Com. in S. Th. I, Q. 18, a. 1 (Ed. Leon. IV).

⁴ I, Q. 18, a. 1, ad 3.

⁵ Cf. nr. 57.

II. De agente instrumentali

1. De iis quibus instrumentalis scriptor continetur

99. Humanus scriptor est instrumentum ac singulare quidem. In Sacrorum Librorum confectione homo a Deo tamquam instrumentum adhibetur, idcirco ei omne illud est tribuendum quod pertinet ad rationem universam instrumenti, quare eum censere debemus agere non propriae formae substantialis vi neque essentiae suae, neque formae accidentalisi sibi praecipuae, sed opera solummodo motionis Dei agentis principis¹.

In ordine autem instrumentorum, quibus Deus utitur, angelis nempe primum, dein animalibus ratione carentibus et inanimatis, homo medium fere obtinet locum, atque alia cum superioribus, utpote rationis compos, habet communia, alia cum posterioribus, quatenus animal. Ex hoc iam perspicui potest humanum instrumentum esse cuiusdam naturae valde complicatae particeps; haec enim constat ex anima et corpore, ex ratione et voluntate, ex sensibus externis ac interioribus latentibus. Quae omnia instrumentum, quod quae- rimus, admodum occultum abditumque reddunt, nec minus obscurum quam cetera in rerum natura tenebris obducta existentia; ut exemplum liceat afferre actionem unam humanam, quae, iudicio quorundam, seriem complectitur septemdecim aliorum actuum, vel duodecim, opinione ceterorum. Ex iis ergo sequitur inspirationem in huiusmodi instrumentum receptam nusquam videri penitus perspicuam, sed potius saepe caligine circumfusam.

100. Scriptor sacer est instrumentum supernaturale. — Etenim in natura ipsa instrumenti situm est ut hoc non possit per se effectum moliri, ad quem efficiendum assumitur. Nunc autem scriptor inspiratus conficere debet opus divinum, supra vim cuiusque rei creatae collocatum, facultatique unice Dei accommodatum, quod est liber sacer; itaque suo marte non valet talem effectum exsequi, at necesse est eum in sublime ferri, ac ne in regione quidem naturalium rerum, quia sic opus, etiamsi ceteris antecelleret, esset nihilominus humanum, sed erigendus est ad summam dignitatem rerum divinarum. Propterea S. Thomas, de cognitione loquens supernaturali, cuiusmodi est inspiratio: „Omne donum gratiae, ait, hominem elevat

¹ Cf. nr. 48.

ad aliquid quod est supra naturam humanam. Quod quidem potest esse dupliciter: uno modo quantum ad substantiam actus, sicut miracula facere et cognoscere incerta et occulta divinae sapientiae, et ad hos actus non datur homini donum gratiae habituale¹. Ut vero homo tam alte extollatur nullam habet in se potentiam naturalem, sed illam tantum quae vocatur passiva obedientialis, quatenus scilicet est aptus ad recipiendum supernaturalem elevationem. Quam ob rem Angelicus Doctor cum disputat de lumine prophetiae, quod est pars inspirationis quoque, ad hunc modum inquit: „In humana natura est potentia passiva ad recipiendum lumen propheticum, non naturalis, sed tantum potentia obedientiae, sicut est in natura corporali ad ea quae mirabiliter fiunt; unde non oportet quod tali potentiae passivae respondeat potentia activa naturalis².“

101. Num inspiratio cum authenticitate connectitur. — Diximus supra de iis quae ad scriptorem generatim ut instrumentum attinent; hoc autem loco tractare oporteret conditiones, quibus ille magis definitur; attamen primum disserendum est, ac, propter quaestionis gravitatem, longius quidem de authenticitate. Ut eam igitur a capite repetamus, exordium capere debemus a critica, quae a germanis „höhere Bibelkritik“ appellata, „higher criticism“ ab anglis, „haute critique“ a gallicis³, saeculo XIX admodum apud acatholicos floruit; huius artis est omnia perscrutari quae spectant ad scriptorem cuiusvis libri, ad genus litterarium, ad fontes adhibitos, ad auctoritatem operis tali apparatu confecti. Eodem autem saeculo exeunte ratio criticae apud catholicos erat iam in honore, et quamvis in Encyclica „Providentissimus“ Leonis XIII ac in Motu Proprio „Praestantiae Scripturae Sacrae“ Pii X nuncupata nomine „criticae sublimioris“ reprehendatur, tamen in eodem loco ab ipso Pontifice Leone XIII, in eo quod optimi habet, verbis commendatur „vera artis criticae disciplina“⁴. Quaestio igitur authenticitatis tunc coepit diligentius tractari; sed plurimi commoti re, quae speciem novitatis ferebat, causam adduxerunt in iudicium, ac in

¹ III, Q. 171, a. 2, ad 3.

² Q. D. De Verit., Q. 12, a. 3, ad 18.

³ Altior critica cum ea comparatur germanice dicta „niedere Kritik“, „lower criticism“ anglice, quae codicem perquirat primigenium.

⁴ Cf. Camerlynck, Comp. Intr. Gener. I, p. 20 et 32.

primis inquisiverunt num authenticitas quodam modo sit cum fide nexa, praesertim quidem cum inspirationis dogmate, quod primo aspectu maxime cum ea videbatur iunctum; deinde investigarunt eadem ipsa sitne fidei obiectum; postea utrum ad alia dogmata censeatur referenda, vel contra an ponatur in numero rerum penitus profanarum, in quibus nullam habeat potestatem nec fides, eademque causa nec Theologia, neque Ecclesia.

P. Condamin S. J. anno 1900 in „Revue Biblique“ de scriptore disserens libri Ecclesiastis exponit argute Sanctos Patres ac Theologos parvam duxisse disputationem de authenticitate Librorum Sacrorum, saltem qui sunt Veteris Testamenti¹. Ut suam sententiam facilius obtinere possit, in medio ponit iudicium Salviani, Iunilii in quadam Introductione ad Scripturam, Theodreti, S. Augustini. Sed testimonium S. Gregorii Magni hac in controversia celeberrimum atque notissimum hoc est: „Sed quis haec scripserit, valde supervacue quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur... Si magni cuiusdam viri susceptis epistolis legeremus verba, sed quo calamo fuerint scripta quaereremus, ridiculum profecto esset epistolarum auctorem scire sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint indagare. Cum ergo rem cognoscimus, eiusque rei Spiritum sanctum auctorem tenemus, quia scriptorem quaerimus, quid aliud agimus nisi legentes litteras, de calamo percontamur?“² Ex Patribus transit P. Condamin ad Theologos, quos invenit primis assentientes. S. Thomam profert primario loco, tum exegetas saeculi XVI et XVII, Melchiorum Canum, Masium, Rugerium, Salmeronem, Bellarminum, Curielem, Serarium, Cosmam Maga-

¹ Hoc pacto illud ostendit: „Un peu étrange pour les habitudes de l'esprit moderne, c'est un fait incontestable pourtant à condition d'être bien compris: les anciens Pères, et après eux bon nombre d'exégètes catholiques, n'ont attaché qu'une maigre importance à la question de savoir quel est l'auteur humain des Livres saints de l'Ancien Testament. Limitée aux Livres de l'Ancien Testament, cette assertion peut s'asseoir sur d'assez solides témoignages. Les principes des Pères en matière d'exégèses, leur méthode, leur façon de parler, le caractère général de leur enseignement laissent voir que les discussions de „haute critique“, qui passionnent et divisent les savants de notre époque, n'occupaient d'ordinaire dans les premiers siècles chrétiens qu'une place accessoire, insignifiante.“ Rev. Bibl. 1900, p. 30.

² *Moralium libri. Praefatio. cap. I, 2. M. L. 75, 517.*

lianum, Lorinum, Pivedam, Fr. de Mendoça, etc.; cui enumerationi finem facit affirmans se eam longius prosequi facile posse. Postea quaerit quae sit Patrum sententia de scriptore Ecclesiastis atque probe arbitratur hanc non esse consentientem neque altercationes dirimentem¹.

Commentatio P. Condamin aliquantum fortasse in obscuritate versaretur, nisi P. Hummelauer S. J. tribus locis eam illustratam pervulgasset, et, terminis omnibus sublatis, ad authenticitatem universam traduxisset. In commentario libri Iosue, anno 1903 edito, ex testimonio Patrum hoc vult quod efficiatur „auctores christianos antiquos, et imprimis s. ecclesiae doctores, in ea fuisse opinione, non haberi in illa auctorum V. T. quaestione sacram aliquam et divinam traditionem, quae a Christo per apostolos ad nos profecta accipienda sit fide divina, sed traditionem humanam recipiendam fide historica ideoque, uti alia axiomata historica, discutiendam, complendam, imo reformandam².“ Idem eodem anno docuit in „Civiltà Cattolica“³. Postero quoque anno in fine operis, quod inscribitur „Exegetisches zur Inspirationsfrage“, ubi se scripsisse ostendit disputationem in „Civiltà Cattolica“ institutam⁴, longe iterum de hac re disserens, non deicitur de sententia ante exposita⁵. Nec aliqui defuerunt quibus ratio P. Hummelauer placuit. At Card. Billot, anno

¹ „Concluons. Le jugement des Pères n'est infaillible que lorsqu'il est unanime sur un point concernant la foi ou les mœurs. Or, en matière d'authenticité, surtout pour les livres sapientiaux, les Pères ont exprimé diverses opinions, sans prétendre aucunement les imposer, sans rien vouloir trancher définitivement, souvent sans être d'accord entre eux.“ Loc. com., p. 38.

² p. 86.

³ Sic ait: „Basterà che ne riferiamo le principali (testimonianze dei Padri), e da tutte apparirà dimostrato in modo chiarissimo, che quegli antichi non ebbero in conto di sacre o di teologiche le questioni presenti, ma solamente di profane; che stando alla loro dottrina si devono esse discutere dagli storici a secondo dei canoni della storia e della critica, e che si deve attribuire un'autorità puramente umana ai testimonii che loro si fanno innanzi.“ Serie XVIII, vol. IX, 1903. „Bibbia ed alta critica“, p. 400.

⁴ Exegetisches etc., p. 103.

⁵ Paucis verbis omnia ad hunc modum complectitur: „Es ist die einmütige Lehre des christlichen Altertums, daß die Frage, wer der (menschliche) Verfasser eines inspirierten Buches sei, an und für sich keine theologische, sondern eine historische kritische Frage sei.“ P. 99.

1903, in prima editione libri „De Inspiratione Sacrae Scripturae“ illam opinionem refellit, quamvis, ut P. Hummelauer arbitratur, Card. Billot minime ab eo dissentiat¹. Sed ex eo tempore haec quaestio in controversias catholicorum non mediocriter permanavit.

Iam vero, ut veniamus ad utilitatem et pondus authenticitatis, quia Sancti Patres censuissent eam omnino nihil habere momenti, non liceret concludere talem indagationem vi omni esse destitutam. Patres enim, ut optime P. Condamin animadvertit², non coacti ab adversariis ad hanc rem pertractandam, totique dediti theologiae inquisitioni, cunctos poene thesauros doctrinae sive dogmaticae, sive moralis, sive spiritualis in venis coelestium voluminum abditos effoderunt; sed ex hoc illud sequitur ut in disputationibus de scriptore humano et in aliis huius generis, tenuibus nimirum si cum superioribus comparentur, nullam curam consumpserint. Attamen authenticitas in se ipsa, utpote criticae materies magni huic arti refert, itemque exegesi ac hermeneuticae, quia cognito scriptore alicuius libri, minore sudore argumentum cernitur³.

Nunc denique dicere oportet an dogma inspirationis cum authenticitate copuletur. Ac primo quidem sedulo est tenendum Sacras Litteras, praeter alios libros, quoniam eae

¹ Cf. p. 109—113.

² „Avec les Juifs la polémique ne s'engagerait pas sur l'origine de la Bible hébraïque, mais sur son interprétation; contre les hérétiques les Pères avaient surtout à défendre les Livres du Nouveau Testament, et moins souvent à prouver leur authenticité qu'à rétablir les passages corrompus, à revendiquer pour ces passages le sens légitime et traditionnel; devant les fidèles leur soin principal était du tirer du texte inspiré les plus riches leçons dogmatiques et morales.“ Loc. com., p. 31. — Si vero Patres nostra aetate vixissent, aliud habuissent consilium: „Sans aucun doute si les Pères de l'Eglise vivaient de nos jours, en face d'adversaires uniquement sensibles aux armes de la critique historique et linguistique, ils ne refuseraient pas d'examiner ces questions scientifiquement, ils n'en parleraient pas dans les mêmes termes, ils ne laisseraient pas aux „gens oisifs“ les moindres problèmes de chronologie.“ Ibid.

³ In hoc loco placet afferre testimonium P. Brucker, qui etiamsi multum postulet iuribus Theologiae, non tamen negat momentum criticae et hermeneuticae. Inquit enim: „Au point de vue de l'herméneutique et de la critique, surtout historique, l'importance de ces problèmes est évidemment très grande.“ Agebatur, autem de „La question des auteurs au point de vue théologique“. L'Eglise et la critique biblique, p. 79.

a duplici agente confectae, altero divino, humano altero, duobus authenticitatibus utrique agenti respondentibus, esse ornatas. De divina autem hoc in loco non agitur. Nam ex parte Dei authenticitas ad inspirationem revocatur tamquam effectus ad causam¹, sicque maxime inter se ambae connectuntur. Sed quaestio est de authenticitate ex parte hominis, de Moyse ut scriptore Pentateuchi, de Matthaeo quatenus primum Evangelium exaravit, et de caeteris huius modi. Atque de hac re omnes catholici mirifice consentiunt, idque primus fuit uberrimus fructus ex illa litigiosa disceptatione captus. Omnes enim existimant authenticitatem propter se nullo vinculo esse cum inspiratione coniunctam². Huius autem causae ratio est in promptu, quia ut Scriptura aliqua habeatur inspirata, satis est instrumentum in hominum numero referri, non vero indigetur per se talis hominis. At quamvis authenticitas non pertineat ad inspirationis dogma, spectat nihilominus ad disputationem de inspiratione, cuius est dispicere, quoad facultas fert, instrumentalem causam Librorum Sacrorum. Notio praeterea inspirationis non parum illustratur exquisita cognitione motionis divinae, quatenus haec temperatur ac definitur secundum modum et vim instrumenti, in quo recipitur; id autem tantum magis obtinetur, quantum melius proprietates certi definitique scriptoris explanatae habeantur.

¹ De hac re P. Th. Mainage O. P. disserit, sicque ait: „Or le Livre saint est totalement attribuable à Dieu comme auteur principal et totalement à l'homme comme auteur secondaire. Il est donc authentique à un double titre. Mais l'authenticité en tant que divine s'identifie avec l'inspiration. Car Dieu est l'auteur des Livres saints pour autant qu'il les inspire.“ *Revue des Sciences Philosophiques et Théologiques*, 1908. „Canonicité et Authenticité“, p. 97.

² Cf. P. Pesch S. J. *Apparatus ad historiam coevam*, p. 54 et 122; et *De Inspiratione* nr. 397. — P. Hummelauer S. J. *Civiltà Cattolica*, loc. com., p. 406; et *Exegetisches* p. 115. — Card. Billot S. J. *De Inspiratione*, p. 66. — P. Hildebrand Höpfl O. S. B. *Das Buch der Bücher*, p. 138; *Die höhere Bibelkritik*, p. 50; *Introductionis in s. V. Test. libros compendium*, 1915, p. 35. — P. Murillo S. J. sic ait: „Si sólo se trata del cuándo y por quién fueron escritos los libros, seguramente el problema es histórico é independiente de la inspiración.“ *Razon y Fe*. Tom. XI, 1905. *El movimiento reformista y la Exégesis*, p. 423. — J. V. Bainvel. *De Scriptura Sacra*, 116. — P. Alfred Durand S. J. *Dictionnaire Apologetique de la Foi cath.*; *Critique Biblique*, I, col. 791. — H. Merkelbach. *L'inspiration des Div. Ecrit.*, p. 80.

102. An terminis fidei directe circumscribatur authenticitas. — Quando suscipitur quaestio de coniunctione authenticitatis cum fide, numquam nimis valde commendabitur distinctio a S. Thoma instituta eorum quae ad fidem aut directe aut indirecte diriguntur: „ad fidem, inquit, pertinet aliquid dupliciter. Uno modo directe; sicut ea quae nobis sunt principaliter divinitus tradita, ut Deum esse trinum et unum; Filium Dei esse incarnatum; et huiusmodi. Et circa haec opinari falsum, hoc ipso inducit haeresim, maxime si pertinacia adiungatur. Indirecte vero ad fidem pertinent ea ex quibus negatis consequitur aliquid contrarium fidei; sicut si quis diceret Samuelem non fuisse filium Helcanae; ex hoc enim sequitur Scripturam divinam esse falsam¹.“ Primo igitur quaerendum est num authenticitas vi sua directe spectet ad fidem. Quod quidem accidere non videtur. Nam si ita esset, de scriptoribus omnino omnibus utriusque Testamenti necessario nobis constare deberet. Atqui contra res se habet, quia etiamsi ex Vetere Testamento cognoscantur scriptores librorum prophetarum, ex Novo vero cuncti, tamen ex Lege antiqua multi latent, et in tenebris forte semper iacebunt. Ex libris enim historicis Moysen scripsisse Pentateuchum scimus, Esdram autem historiam perfecisse Esdrae et Nehemiae non est certum; sed qui litteris mandaverint libros Iosue, Iudicum, Ruth, I et II Samuelis, I ac II Regum, I atque II Paralipomenon, Tobiae, Iudith, Esther, I et II Macabeorum, est quaestio certe perobscura. Ex didacticis etiam operibus scriptores Ecclesiastici magnaeque partis Psalmorum perspectos habemus; item Salomoni, dubitanter tamen, Canticum Canticorum tribuere opus est; nos autem fugit authenticitas Iob, aliquorum Psalmorum, Proverbiorum, Ecclesiastis et Sapientiae.

Liquet ceteroquin fontes revelationis, Scripturam ac Traditionem, ob eam ipsam causam, hac in re exiguos inveniri. Novum enim Testamentum non affert nominatim nisi Moysen, David, Isaiam, Ieremiam, Danielelem et Ioelem; de reliquis plane tacet. Similiter ex Traditione non omnia exhaustiuntur. Ea enim in eo quod ad libros Veteris Testamenti attinet a Iudaeis conservaretur, sed tot tantaque commentitia fictaque ab eis traduntur, ut difficillimum ha-

¹ Sum. Theol. I, Q. 32, a. 4.

beatur veritatem in talibus fabulis deprehendere. Atque Sancti Patres quae conscriptionem Sacrorum Librorum attingunt, magna ex parte a Iudaeis acceperunt falsa; sic, ut exempla ponamus, quidam authenticum duxerunt fucatum librum IV Esdrae, atque hunc ipsum doctorem instaurasse Iudaeorum litteras in captivitate babylonica deperditas, item septuaginta viros in totidem cellulis commorantes vertisse divinitus Bibliam hebraicam, quo facilius conciliaretur divina auctoritas voluminum graecorum¹. Itaque minime videtur si Patres, Iudaeos sequentes, Salomonem putaverint scripsisse Canticum Canticorum, Proverbia et Ecclesiasten, immo his duos alios adiunxerunt. P. Höpfi: „SS. Patres, ait, interdum quinque recensent libros Salomonis (c. g. Concil. Hipponense 393, Carthaginense 397, S. Innocentius I 405) addentes Ecclesiasticum et librum Sapientiae, qui certissime non habent Salomonem auctorem²“. De authenticitate operum, quae, ut paullo ante diximus manent ignorata, est magna dissensio Patrum et Doctorum catholicorum. Itaque aliis, ut exemplo res illustretur, placet, secundum quod Calmetus et Ubaldi dicunt, Phineen vel Samuelem confecisse librum Iudicum, aliis Esdram; opiniones igitur variae inter saeculum XI et IV vacillant³. In Novo Testamento quoque desideratur aliquando omnium consensio, veluti in II et III Epistola Ioannis, quarum de authenticitate praecellentes quidem Doctores dubitant, Origines, Eusebius et S. Hieronymus. Unde merito Commissio Biblica, cum loquitur de scriptore 150 Psalmorum, ad Dub. I: „Utrum appellationes Psalmi David, Hymni David, Liber psalmorum David, Psalterium Davidicum, in antiquis collectionibus et in Conciliis ipsis usurpatae ad designandum Veteris Testamenti Librum CL psalmorum; sicut etiam plurium Patrum et Doctorum sententia, qui tenuerunt omnes prorsus Psalterii psalmos uni David esse adscribendos, tantam vim habeant, ut Psalterii totius unicus auctor David haberi debeat“ respondit: „Negative“⁴. Ex his igitur quae exposuimus perspicuum est authenticitatem

¹ Cf. P. Lagrange, Rev. Bibl. 1898, p. 26 et 27.

² Introductionis in S. Vet. Test. libros compend, p. 187. Cf. idem. Das Buch der Bücher, p. 141.

³ Cf. Le livre des Juges par le P. M.-I. Lagrange, Paris, 1903, p. XX et seq.

⁴ Cf. Camerlynck. Compend. Introduct. I, p. 125.

sua sponte ideo non pertinere directe ad fidem, quia, fontibus revelationis deficientibus, scriptores plurium librorum latent circumfusi tenebris.

103. Quaestio de scriptoribus cum veritate Scripturae comparata. — Restat adhuc altera causa pertractanda, utrum authenticitas indirecte contineatur in fide, propterea quod sic cum alia doctrina fidei consocietur, ut haec sit tollenda, si illa reiiciatur. Primum autem occurrit animo exemplum supra a S. Thoma significatum, veritas scilicet Scripturae Divinae, quae nullo potest negari errore; quare quidquam doceat Scriptura de authenticitate Librorum Sacrorum fide supernaturali credendum est. Exstat vero duplex fons unde haurire licet Scripturarum institutum: aut scriptor ipse inspiratus, se opus confecisse asserens, quod etiamsi raro in Vetere Testamento contingat, maxime tamen prodest libris Novi; aut loci huius Testamenti ubi fit mentio monumentorum Legis antiquae; id e contrario praecipuum ac crebrum est argumentum quo propugnatur horum voluminum authenticitas. Exordiamur itaque a posteriore fonte, a testimoniis nempe Testamenti Novi, quae caute intelligenda sunt, quoniam non omnes qui in Novo Testamento verba Veteris afferunt eandem habent auctoritatem. In Evangeliiis plerumque Iesus Christus Vetus adducit Testamentum; Evangelistae etiam nonnumquam idem faciunt, praesertim Matthaeus, in Marco autem semel tantum id accidit; praeterea Ioannes Baptista affirmat in se evasisse prophetiam Isaiae (Io. I, 23); deinde discipulos reperitur meminisse quod scriptum erat (Io. II, 17); Principes et Scribae quoque prophetiam in medium vocant (Mat. II, 5), Moysen Sadducaei (Mat. XXII, 24; Mc. XII, 19; Lc. XX, 28); aliqui demum ex turba (Io. VI, 31) et diabolus ipse in tentationibus Domini ex Libris Sanctis argumentatur. In Actibus vero, sublato versu 30 cap. VIII, nullo in loco scriptor inspiratus de nominibus codicum antiquorum loquitur; contra Apostoli in concionibus et hortationibus ibi interpositis saepe ad prophetias se conferunt: S. Petrus potissimum hanc adhibet rationem, S. Paulus dein, semel Iacobus; Stephanus quoque in suo sermone eandem viam sequitur; christiani denique verbis davidicis Deo gratias agunt de liberatione Petri et Ioannis¹. In

¹ Huic loco similis est Hebr. XIII, 6.

Epistolis similiter Apostolos crebro videmus uti Litteris Sacris, Sanctusque Paulus vel maxime in ore habebat Vetus Testamentum, cum epistolam exarabat ad Romanos, item, quamquam minus, cum ad Hebraeos scribebat; in litteris vero I et II ad Corinthios necnon ad Galatas pauca huius generis adhibet, perpauca in illis ad Ephesios et I ad Timotheum, numquam vero in epistolis ad Philippenses, Colossenses, I ac II ad Thessalonicenes, II ad Timotheum, ad Titum, et ad Philemonem. In schedulis Iacobi, I et II Petri etiam invenitur aliquando scriptores loqui de Scriptura, non autem in tribus Ioannis et in ea Iudae neque in Apocalypsi. In locis hic enumeratis patet relictos omnino illos esse, qui etiamsi ad Vetus Testamentum referantur, tamen nullo modo librum in se ipso indicant. Ex his igitur testimoniis, Ioannes Baptista et discipuli Domini, cum Scripturae recordabantur, similiter Principes, Scribae, Sadducaeii, aliqui ex turba et ipse diabolus necnon Stephanus in concione atque christiani in gratiarum actione non gaudent divina auctoritate; in controversia nihilominus, de qua agimus, magni eorum ratio interest, quandoquidem consuetudines Iudaeorum illius temporis ostendit. At verba Domini nostri summa observantia oportet revereri aequae et sententiam scriptorum inspiratorum; neque sermones Apostolorum orbari videntur tali honore, quia cum officio apostolico fungi opus erat, divinitus illi a Spiritu Sancto dirigebantur.

Iam vero, ut proclivius quaestio proposita evolvatur, investigandum est quale propositum habuerint Iesus Christus, scriptores inspirati et Apostoli in concionibus, cum Scripturam afferebant. Atque ex locis omnibus efficitur Vetus Testamentum adduci vel ut prophetiae ostendantur impletae vel tamquam sedem divinam argumentorum, numquam profecto ad enodandam disputationem de authenticitate, immo parva cura ponitur ut nomina tradantur scriptorum; at saepe, neglectis instrumentis humanis, ipse Deus, auctor princeps, inducitur loquens verbis Scripturarum. Sic Iesus Christus inquit: „Deus dixit“ (Mt. XV, 4), „non legistis quod dictum est a Deo“ (Mt. XXIII, 31); scriptor primi Evangelii ait: „dictum est a Domino per prophetam“ (Mt. I, 22); in Antiochia Pisidiae Paulus, velutsi Deus loqueretur, promissioni allatae hoc tantum praeponit: „ita dixit“ (Act. XIII, 34); pariter inquit: „sic praecepit nobis Dominus“ (Act. XIII, 47), vel.: „ait enim“ (II, Cor. VI, 2);

plures insuper sententias collectas ex Lev. XXVI, 12, Is. LII, 11, Ezech. XX, 34, II Sam. VII, 14 hoc simplici modo introducit: „sicut dicit Deus“ (II Cor. VI, 16); aut vicissim sermo Dei in sacris Litteris consignatus Scripturae tribuitur: „Providens autem Scriptura... praenuntiavit Abrahae“ (Gal. III, 8); sed Epistola ad Hebraeos magni refert in hac causa: ibi formula exhibetur „sicut dicit Spiritus Sanctus“ (III, 7), ac fere in omnibus ceteris locis ponitur Vetus Testamentum in ore Dei, vel Christi¹. Ex his ergo iam sequitur non esse in animo Iesu Christi et Apostolorum aperte docere authenticitatem; id ipsum autem certissime efficitur, cum innumerabiles loci perspiciuntur, in quibus modo nimis vago vetera adhibentur Scripta. Ad hanc rem imprimis pertinet consuetudo, quae maxime viguit, usurpandi verba Scripturae tamquam propria, quin videatur Libros Sanctos commemorari; sed etiamsi in aliis operibus hoc saepe contingat, in Apocalypsi tamen, ubi numquam Vetus Testamentum revocatur, illud genus in omnibus paginis reperitur. Aliquando vero sine ulla forma praemissa sententiae in contextu interiectae exstant². Et si, ut mos est, quaedam adsit formula, haec plerumque nimis incerta praebetur, eoque ad authenticitatem parum proficit. Huiusmodi est vox tam usitata „scriptum est“, qua Dominus, secundum Evangelia, affert Deut., Ps., Is., Zach., Malach., atque Is. simul ac Ier.³. Ioannes etiam sic Zach. adducit (In. XII, 14). S. Paulus autem, praesertim in epistola ad Rom. magnopere hoc vero delectatur, atque huius ope in medium vocat libros Gen., Exod., Deut., Iob, Ps., Prov., Is., Ier., Habac., et Malach.⁴. Quandoque illi

¹ Dicta a Deo: Hebr. I, 5, 6, 7, 8, 10, 13; IV, 4; V, 5, 6; VIII, 8; X, 30; XII, 5, 27; XIII, 5. In ore Christi: II, 12, 13; X, 5.

² Cf. Rom. X, 18; Hebr. X, 37; I Petri I, 24; III, 10—12; IV, 18.

³ Mt. IV, 4, 7, 10 et Lc. IV, 4, 8 (ex Deut.); Lc. XX, 17 (ex Ps.); Lc. XXII, 37 (ex Is.); Mat. XXVI, 31 et Mc. XIV, 27 (ex Zach.), Mt. XI, 10 et Lc. VII, 27 (ex Malach.); Mt. XXI, 13 et Mc. XI, 17 et Lc. XIX, 46 (ex Is. et Ier.).

⁴ Rom. I, 17 (Habac.); II, 24 (Is.); III, 4, 10 (Ps.); IV, 17 (Genes.); VIII, 36 (Ps.); IX, 13 (Malach.); IX, 33 (Is.); X, 15 (Is.); XI, 8 (Is.); XI, 26 (Is.); XII, 19 (Prov.); XIV, 11 (Is.); XV, 3 (Ps.); XV, 9 (Ps.); XV, 21 (Is.).

I Cor. I, 19 (Is.); I, 31 (Ier.); II, 9 (Is.); III, 19 (Iob); III, 20 (Ps.) verbum scriptum hic suggeritur; X, 7 (Ex.); XV, 45 (Gen.); XV, 54 (Is.).

II Cor. IV, 13 (Ps.); VIII, 15 (Ex.); IX, 9 (Ps.).

Gal. III, 6 (Gen.); III, 10, 13 (Deut.).

vocabulo aliud adiungitur, quod obscure indicat locum unde sententia sumitur; hoc modo Iesus Christus addit „in lege“ (In. XI, 34 et XV, 25 ex Ps.), item Lucas (II, 23 ab Ex.) et Paulus (I Cor. XIV, 21 ex Is.), vel „in Prophetis“ (In. VI, 45 ex Is.), vel ut Iacobus aiens „verba Prophetarum“ se refert ad Ierem., Am. et Is. (Act. XV, 15); S. Petrus in concione adnectit in libro Psalmorum (Act. I, 20); Paulus, in Psalmo secundo (Act. XIII, 33). Alia vox superiori gemina, „dictum est“, reperitur in Evangelio a Iesu adhibita¹; Paulus autem „in Prophetis“ subiicit (Act. XIII, 40 ex Habac.), Matthaeus vero „per prophetam“ (Mt. XIII, 35 ex Ps.; XXI, 4 ex Zach.). Ab hoc insuper genere parum distat illud „Scriptura dicit“, a quo nomen Scripturae nonnumquam removetur². Praeterea Iesus, cum Iudaeis disputans, eos arguit aiens: „numquam legistis in Scripturis“³. Et haec quidem sunt formulae vagae crebrius usurpatae; exstant tamen aliae sed paucae et rarae⁴.

Sed praeter modos supra allatos sunt alii etiam, in quibus mentio fit nominis cuiusdam cum notione libri coniuncti; Moyses, Isaias et Osee sic nominantur. Etenim scriptum vel legem Moysis usurpat Dominus cum loquitur ad Iosuem (Ios. I, 8), et in Malachia (IV, 4) idem faciunt scriptores sacri⁵. Eadem consuetudo in Novo Testamento servatur, ut videre licet in sermonibus Iesu Christi (Mc. XII, 26; Lc. XXIV, 44) et S. Petri (Act. XV, 21), ac in I Ep. ad Cor. IX, 9. Item Iesus de prophetia Isaiiae agit (Mt. XIII, 14); qui usus non est alienus ab scriptoribus Evangeliorum.

¹ Mt. V, 27 (Ex.); V, 31 (Deut.); V, 38 (Ex.); V, 43 (Lev.); Lc. IV, 12 (Deut.); cum vocabulo „antiquis“ addito Mt. V, 21 (Ex.); V, 33 (Num.).

² In. XIX, 37 (Zach.); Rom. IV, 3 (Gen.); IX, 17 (Ex.); Gal. IV, 30 (Gen.); 1 Tim. V, 18 (Deut.); Iacob. IV, 5. — Sine vocabulo Scripturae; Rom. XV, 10 (Deut.); XV, 11 (Ps.); Eph. IV, 8 (Ps.).

³ Mt. XXI, 42 et Mc. XII, 10 (Ps.); Cf. Mt. XIX, 4 (Gen.).

⁴ Huiusmodi sunt: „ut Scriptura impleretur dicens“ In. XIX, 24 (Ps.); XIX, 36 (Ex. Num. Ps.). Cf. Iacob. II, 23 (Gen.); „secundum Scripturas“ Iacob. II, 8 (Lev.); „continet Scriptura“, 1 Petri II, 6 (Is.); „illud veri proverbii“ 2 Petri II, 22 (Prov.); „inquit“, Rom. VI, 16 (Gen.); difficile est scire quis hoc dixerit. In Ep. ad Hebr. praeter omnes locos in quibus Deus aut Christus loquitur, semel tantum adducitur Scriptura sic: Testatus est autem in quodam loco quis, dicens“ (II, 6).

⁵ Cf. II Reg. XIV, 6; II Par. XXV, 4; XXXIV, 14; XXXV, 12; Esdr. VI, 18; Neh. VIII, 14; XIII, 1.

et Actuum¹. Osee autem semel hoc pacto in Ep. ad Rom. IX, 25 commemoratur. Quid igitur, nominibus huiusmodi authenticitas defenditur librorum? Id revera fieri forsitan posset; attamen non haberemus rationes tam graves ad illud obtinendum, quia aut scriptor pseudonymo occultatur, ut in Sanctis quoque Libris quandoque accidit; aut nomina, quibus codices Veteris Testamenti nuncupantur, ii potissimum qui historiam narrant, non indicant constanter scriptorem, sed potius personam, qua paene historia tota aliquorum temporum tenetur constricta; aut locus quidam profertur nomine viri cuius res gestae exponuntur, quemadmodum Paulus librum I Reg. XIX, 10 in medio ponit: „An nescitis in Elia quid dicit Scriptura?“ (Rom. XI, 2). Deinde Marcus, qui semel tantummodo ad prophetas se refert (Mc. I, 2), nomine Isaiae sententiam inducit non solum huius prophetae, sed Malachiae etiam; quod certe non fecisset, si authenticitatem utriusque aut alterutrius constituere voluisset.

At illustrantur superiores loci ex aliis in quibus liber non videtur habere totum momentum, sed magis scriptor, quare ei primas dare necesse erit. Id reperitur praesertim cum sermo est de Moyse, Isaia et David, postea de Ieremia, Daniele atque Ioele. Etenim Iesus Christus et Apostoli, cum Moysen nominant, his utuntur verbis: dixit (Mc. VIII, 10; Act. III, 22; Rom. X, 19), locutus est (Act. XXVI, 22), scripsit (Mc. X, 5; In. V, 46; Rom. X, 5), praecepit (Mt. VIII, 4), permisit (Mt. XIX, 8), ostendit (Lc. XX, 37); cum vero Isaiam afferunt: dicit (In. XII, 39; Rom. X, 16, 20), ait (Rom. XV, 12), clamat (Rom. IX, 27), praedixit (Rom. IX, 29), prophetavit (Mt. XV, 8; Mc. VII, 6), dictum est per Isaiam (Mt. III, 3; IV, 14; VIII, 17; XII, 17), Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam (Act. XXVIII, 26); Davidi pariter hoc tribuitur: dicit (Mc. XII, 36; Lc. XX, 42; Act. II, 25, 34; Rom. IV, 6; XI, 9), et David in spiritu vocat eum Dominum (Mt. XXII, 43). De Ieremia etiam Matthaeus ait: Dictum est per Ieremiam (II, 17), in XVII, 9 autem eandem viam sequitur ac Mc. I, 2, nomine scilicet Ieremiae sententiam ponit huius et Zachariae. Dominus noster Danielem commemorat de abominatione desolationis loquens „quae dicta est a Daniele propheta“

¹ Cf. Mc. I, 2; Lc. III, 4; IV, 17; In. XII, 38; Act. VIII, 30.

(Mt. XXIV, 15). Petrus denique Ioelis recordatur „Dictum est per prophetam Ioel“ (Act. II, 16). Iam igitur nunc quaeritur an Iesus Christus et Apostoli in locis allatis voluntatem habuerint affirmandi authenticitatem librorum. De hac re certatur magna catholicorum dissensione. P. Lagrange, de fontibus disserens Pentateuchi, dicit illud Evangelii „Moyses scripsit legem“ esse verum de substantia non autem de completa conscriptione legis¹. P. Hummelauer in „Civiltà Cattolica“ existimat Litteras Sacras posse aliquid continere quod spectet ad scriptores², sed in „Exegetisches“ mihi videor eum arbitrari nihil in locis, de quibus disputamus, agi de authenticitate, quandoquidem putat scriptores Novi Testamenti, cum de libris Veteris loquuntur probabiliter morem solum temporis illius servasse³. P. Brucker, salvo Moyse, cum P. Hummelauer concinit⁴. Plerique vero censent opus esse in quibusdam locis asserere authenticitatem divinitus confirmatam. Quid ergo de hac disceptatione sentiendum est? In primis oportet omnino confiteri nullo prorsus in loco ex enumeratis Domino nostro et Apostolis fuisse propositum authenticitatem docere; sed in iis sicut et in aliis locis supra expositis caput ad Scripturam adhibendam est argumentatio auctoritate divina fulta. Quod si nomina scriptorum secundarium inducuntur, id sine ulla dubitatione fit iuxta mores et traditionem Iudaeorum ut liquet potissimum

¹ „... la proposition: Moïse a écrit la loi, était vraie quant au fond, quoiqu'elle ne pût s'appliquer à la rédaction complète de cette loi.“ Rev. Bibl. 1898, p. 23.

² Loc. com., p. 398 et 399. Cf. Exegetisches, p. 120.

³ Quaesito, an scriptores Nov. Test. secuti fuerint in re praesenti opinionem sui temporis, respondet: „Jedenfalls scheint uns hier die Präsumtion für uns zu sprechen; nicht wir haben weitere Beweise unserer Auffassung zu erbringen, sondern dürfen wohlgemut den Beweis des Gegenteils abwarten“, p. 89.

⁴ Quaerens eo solum authenticitas tueaturne, quod scriptores Nov. Test. nomine aliquo libros Veteris nominent, inquit: „On peut en douter, s'il ne resort pas des paroles de l'écrivain du Nouveau Testament que ses affirmations portent précisément sur ce point. Or, ce cas est peut-être le plus fréquent. Nous examinerons plus loin en détail les citations des livres de Moïse, qui sont les plus nombreuses. Pour ce qui est d'autres, lorsque Jésus-Christ et les écrivains du Nouveau Testament invoquent un texte de l'Ancien sous le nom de son auteur, il est souvent permis de conjecturer qu'ils n'ont fait, en donnant ce nom, que se conformer aux façons de parler vulgaires, sans songer à les approuver par là même.“ L'Eglise et la critique bibl., p. 82 et 83.

cum usus perspicitur hominum inspirationis expertium in Scriptura ipsa consignatus. Diabolus enim, Principes, Scribae et aliqui ex turba, ut Evangelium tradit, modo vago adhibent Libros Sacros; item in ore virorum Veteris Testamenti nomen Moyses adiungitur volumini legis; hac ratione Iosue loquitur ad populum (Ios. XXIII, 6), David ad Salomonem (I Reg. II, 3), populus ad Esdram (Neh. VIII, 1), Daniel in oratione (IX, 11, 13), Abraham ad Lazarum (Lc. XVI, 29). Neque desunt exempla in quibus scriptoris nomen libro in se antecellit; sic enim Pharisei aiunt: „Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii“ (Mt. XIX, 7); Sadducaeii autem: „Moyses dixit“ (Mt. XXII, 24), „Moyses nobis scripsit“ (Mc. XII, 19; Lc. XX, 28); christiani, „Spiritu sancto per os Patris nostri David dixit“ (Act. IV, 25). Atqui hoc triplici genere, ut diximus, Iesus et Apostoli utebantur; omnes ergo eandem consuetudinem tenuerunt. Itaque pondus sermonis posteriorum metiri debetur vi traditionis et auctoritate priorum, quae vicissim usu Christi et hominum inspiratorum roboratur maioremque consequitur dignitatem; proinde reiici non potest sine gravibus rationibus.

Relinquitur nihilo secius alia quaestio ac principalis quidem: utrum nempe illa Iudaeorum traditio sic implicetur cum argumento Christi et aliorum, qui divina auctoritate gaudent, ut habeatur eis probata menteque complexa. Age, opinio vetusta Iudaeorum de summo legislatore Moyse, de clarissimo poeta religioso Davide, de Isaia facile principe prophetarum, tamquam scriptoribus Pentateuchi, Psalmorum et operis Isaiae nuncupati tam saepe a Domino nostro et a viris repetitur inspiratis, ut difficillimum sit defendere eos penitus de mente abiicere considerationem scriptoris propter se talium librorum; qua re cautius diceretur eos frequenti illorum nominum usu approbasse sententiam iudaicam de authenticitate horum librorum. Deinceps id maxime confirmatur cum subtilius cernitur quorundam locorum contextus, qui postulare videtur veram authenticitatem ut argumentatio sit apta et firma, quamvis P. Hummelauer opinetur valere ratiocinationem sine illa conditione, propterea quod ea nihilo minus auctoritatem habet argumenti, quod ad hominem vocatur¹. Ad hoc genus pertinent

¹ Exegetisches, p. 89 et 90.

praeclara Christi verba ad Iudaeos: „est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis quomodo verbis meis credetis?“ (In. V, 45—47). P. Lagrange censet non versari hic personam Moysis nisi specie, sed comparisonem inveniri inter librum scriptum et verba Christi¹. Aliis autem, verbi gratia, Card. Billot, P. Brucker, Merkelbach, et P. Höpfl merito placet ideo patrocinium suscipere authenticitatis Pentateuchi, quia Christi argumentatio in Moyse nititur quatenus scriptore². Aequè P. Brucker³ vult idem effici cum Iesus Phariseis respondet: „Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras“ (Mt. XIX, 8 et Mc. X, 5). Similiter Card. Billot⁴ videtur S. Paulum Moysen scriptorem Pentateuchi commemorasse in illo loco „cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum“ (II Cor. III, 15), quoniam in versu 13 de persona Moysis agitur. Ut in his causis expositis argumentatio petit Moysen fuisse scriptorem, sic quidam, velut P. Brucker et Merkelbach⁵, putant eam desiderare authenticitatem Psalmorum cum Dominus inquit: „Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum“ (Mt. XXII, 43; Cf. Mc. XII, 36; Lc. XX, 41). Etiam in concione Pauli videtur illud: „Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem“ (Act. XIII, 35), requiri Davidem conscripsisse Psalmum, sin ratiocinatio periclitaretur. Traditio ergo Iudaeorum significans Moysen et Davidem scripta eis tributa exaravisse, approbatione Iesu et virorum sacrorum fuit ad veritatem Scripturarum propriam sublevata. Quam ob rem iure Commissio Biblica negavit esse authenticam Mosaicam reiiciendam „posthabitis quampluribus testimoniis utriusque Testamenti collective sumptis“⁶. Item causae quaedam ut David vere confecerit Psalmos, iuxta eandem Commissionem,

¹ „Mais en réalité la personne de Moïse n'est ici qu'à la surface. L'opposition est entre le livre écrit et les paroles.“ Rev. Bibl. 1898, p. 23.

² Card. Billot, De Inspiratione etc., p. 77; P. Brucker, loc. com., p. 119; Merkelbach, L'inspiration etc., p. 85; P. Höpfl, Introd. in S. V. Test. lib., p. 46.

³ Loc. com., p. 118.

⁴ Loc. com., p. 78.

⁵ P. Brucker, loc. com., p. 84; Merkelbach, loc. com., p. 84.

⁶ Cf. Camerlynck, Comp. Introd. I, p. 119.

sunt: attributiones Psalmorum ipsi factae tum in Veteri Testamento, tum in Novo¹.“ Illa vero testimonia non liceret ita premere atque urgere, ut Moysen censeatur scripsisse Pentateuchum penitus sicut ad nos pervenit, Davidemque cunctos Psalmos; ipsa enim Commissio Biblica exigit solum ut retineatur „substantialiter Mosaica authenticia“ et „praecipuum Psalterii carminum Davidem esse auctorem“. Et haec quidem de Moyse, Davide et Isaia. Num vero idem sit censendum de Osea, de Daniele, de Ioele, qui semel nominantur, de Ieremia, qui etiamsi bis in medium vocetur, in uno tamen loco affertur primo Zacharias? Pro his certo non exstant rationes tam graves, quam pro superioribus; eoque fortasse non est satis quod semel commemorantur, ut eorum authenticitas, aliunde certa, iudicetur consecrata propter veritatem divinam in Scripturis contentam.

Superest denique alia Litterarum Sacrarum sedes, quae patefacere valet quaestionem de scriptoribus, aperta nempe affirmatio sacri scriptoris de authenticitate. Omissis igitur indiciis etiam expressis (ut cap. VII Isaiae, quod, iudicio P. Brucker et Merkelbach², ob proprias notas prophetam eiusdem nominis scriptis mandasse hanc prophetiam ostendit) ac prologis Auctorum, qui haec narrasse indicant, ut scriptor III Evangelii, et innumerabilibus signis epistolarum Novi Testamenti, praesertim litterarum S. Pauli, quae suspicionem afferunt scriptoris, exstant Scripturarum loci qui certam personam testantur opus aliquod inspiratum confecisse; sic in II Sam. XXI, 1 dicitur Davidem composuisse Psalmum XVII: „Locutus est autem David Domino verba carminis huius“; vel, quod crebrius contingit, scriptor se ipsum asseverat librum, de quo agitur, exarasse. Huiusmodi sunt, authenticitate Mosaica admissa, illa: Ex. XXIV, 4; Num. XXXIII, 2; Deut. XXXI, 9, 24, ubi partes quaedam Pentateuchi Moysi tribuuntur. Sed praeclarum et admodum rarum est Ecclesiastici testimonium: „Doctrinam sapientiae et disciplinae scripsit in codice isto Iesus, filius Sirach, Ierosolymita“ (L. 29). Ac de Vetere Testamento haec quidem; Novum autem est uberius in hac causa. Ex libris historicis, Ioannes affirmat IV Evangelium scripsisse: „Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et

¹ Ibid., p. 125.

² P. Brucker, loc. com., p. 81; Merkelbach, loc. com., p. 81.

scripsit haec" (XXI, 24), cum, versu 20 et aliis locis Evangelii, comprobetur talem discipulum alium non esse nisi Ioannem. Illud vero quod ad litteras spectat facile est ac promptum; genus enim epistolarum inscriptionem postulat praesertim ornari nomine atque titulis scriptoris. Quare omnes Novi Testamenti epistolae, praeter eam ad Hebraeos et I Ioannis, nomen praebent Apostolorum exarantium in inscriptione consignatum; nec praetermissa censetur Apocalypsis, utpote modo epistolarum composita, neque II et III Ioannis, dummodo obtineatur Ioannem nomine designari Senioris. In extrema quoque parte epistolarum nonnumquam aliquod argumentum traditur authenticitatis, ut cum S. Paulus, sive ut discipulis fidem faciat veritatis suarum litterarum eos propria manu salutatur, quaemadmodum ad Thessalonicenses ait: „Salutatio, mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola; ita scribo“ (II Thess. III, 17); eodem genere salutationis utitur in epistolis ad Corinthios I et ad Colossenses; sive ut auditores suos vehementius moveat, benevole eos, aliqua sua manu scribens, hortatur; ita ad Galatas inquit: „Videte qualibus litteris scripsi vobis mea manu“ (VI, 11); in schedula quoque ad Philemonem ab ipso Paulo conscripta, ducit ex facto propriae conscriptionis bellum quoddam argumentum: „Ego Paulus scripsi mea manu“ etc. (v. 19). S. Petrus etiam ante salutationes ait: „Per Silvanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter scripsi“ (V, 12). Loci igitur in quibus conscriptio indicatur, et inscriptiones, ac verae affirmationes scriptorum, quibus illa duo priora sunt similia, cadunt profecto sub iudicium divino lumine illustratum sacrorum scriptorum, ob eamque causam eriguntur ad veritatem divinarum dignitatem, fide supernaturali credendarum. Quod quidem, solis luce clarius, inter omnes omnino constat.

104. De collatione authenticitatis cum aliis dogmatibus. — Nunc, relictâ veritate Scripturae, ad alia dogmata est veniendum. Ducamus igitur exordium a canonicitate in Concilio tandem Tridentino constituta; haec enim etiamsi ab authenticitate, de qua in Concilio nullus est sermo, plurimum differat, videtur tamen cum ea copulata. Nam interdum, ideo liber aliquis iudicatus fuit inspiratus et canonicus, quia a certo viro conscriptus; sic Pentateuchum, quod sciam, Iudaei propterea quod a Moyse compositus fuit, divinum habuerunt; christiani quoque

Evangelia et Epistolas non existimassent vim obtinere verborum Dei, nisi a Matthaeo, a Paulo etc. fuissent exarata. Itaque, etsi re plurimum inter se distent, canonicitas nihilominus, ratione proposita, cum authenticitate aliquando commiscetur, ut P. Mainage O. P. exponit¹. Quod si res ita se habet, consentaneum est ambas non posse disiungi, quin funditus canonicitas evertatur. In eo vero praesertim quod ad quartum Evangelium attinet, canonicitas non sine magna difficultate manet nisi authenticitate sustentata. Etenim, ut liquet inter omnes, scriptum est exeunte saeculo primo, quo tempore nullus apostolus, praeter Ioannem, vivebat; is ergo si non mandavit Evangelium litteris, debuisset saltem suam ostendere inspirationem, quia Apostoli tantum poterant revelata tradere, quibus extinctis, revelatio una decidebat; porro id non satis expedite probaretur. Sin detur Ioannem fuisse quarti Evangelii scriptorem, tunc eius inspiratio et canonicitas plane patent.

Veritas prophetiarum quoque postulare videtur definitam authenticitatem, ut habeatur constitutum eas fuisse ante eventum editas. At scriptores de hac re non sunt consentientes. Ita, P. Hummelauer placet dignitatem prophetiarum sane bene fundari, dum probe sciatur eas prolatas fuisse ante facta, idque neminem posse infitiri, quia omnes graecis litteris inveniebantur illustratae, id est, ante Messiae adventum, quem prophetiae praedicebant²; ex quo efficitur authenticitatem vi sua non esse cum prophetica veritate consociatam. At P. Höpfl arbitratur plus in scriptis prophetis requiri; ait enim: „In libris tamen prophetis quaestio de auctore humano non est indifferens, cum propheta divina missione instructus propria auctoritate vaticinia sua fulcire debeat; prophetiae anonymae nullius sunt valoris; ideo prophetae scriptis suis semper nomina sua praeponunt³.“

¹ „Toutefois accidentellement et en fait il peut arriver que la canonicité entraîne l'authenticité, au moins dans une certaine mesure. D'abord le seul fait d'avoir été pour l'Eglise un criterium même partiel de canonicité donne à l'attribution d'auteur telle que l'a reçue et acceptée l'autorité officielle, une valeur et un poids qu'on ne saurait ignorer, ni écarter sans de graves motifs.“ *Revue des Sc. Philosoph. et Théologiq.* 1908, p. 98.

² *Exegetisches etc.*, p. 122.

³ *Introduct. in S. Vet. Test. libros*, p. 35 in Nota.

Alii autem de aliis fidei veritatibus disputant num cum authenticitate coniungantur. P. Hummelauer de Evangeliiis quaerit sintne credibilia quando ignorentur proprii eorum scriptores? Haesitat id non negare, sed contrariam partem potius vult¹. Authenticitas vero Pentateuchi maxime ingenia concitavit ad inveniendas ex omni parte rationes, quibus eadem niteretur, neque haec sedes societatis cum fide fuit neglecta. Atque, ut exempla ponamus, Card. Billot illud, Moysen esse quinque librorum scriptorem, vult in numerum praeambulorum fidei venire²; P. Brucker autem illud censet consociari cum momento argumentationis priscorum Apologetarum, qui ea authenticitate ostendebant religionem christianam antiquissimam et summa praestantia ceteris antecellentem; sed idem ipse scriptor non nimis huic rationi confidit³.

105. De magisterio Ecclesiae circa authenticitatem. — Ecclesia, privilegio a Deo concesso, est infallibilis non solum in rebus quae ad fidem spectant directe, verum in iis etiam quae indirecte. Ob eam causam, etiamsi Ecclesia directe potestatem non habeat in authenticitatem, quia, ut supra diximus, haec non pertinet directe ad fidem, tamen habet indirecte. Itaque authenticitas primum Pentateuchi, Psalmorum et libri Isaiae, utpote assiduo usu et argumentatione Iesu Christi et sacrorum scriptorum confirmata, Ecclesiae subiicitur; tum Psalmi XVII, quarumdam Pentateuchi partium, Ecclesiastici, quarti Evangelii, omnium fere epistolarum et Apocalypseos, quoniam significata verbis virorum inspiratorum; postremo ea quae cum canonicitate vel alio dogmate, si quid sit, copuletur. In hac re nemo haeret. Unde Card. Billot de opinione iuxta quam „quaestiones de scriptoribus biblicis . . . ad doctrinam sanam nihil attineant, idcirco in proprio ac reservato scientiae criticae campo reponantur“ optime hoc dicit: „non sine gravissimo errore posset sustineri“⁴. Eodem modo P. Durand S. J. affirmat illud esse iudicium omnium catholicorum, a quo

¹ Exemplum affert Evangelii primi, de quo ait: „Dann wäre auch die Autorschaft des hl. Matthäus kein factum dogmaticum.“ Exegetisches, p. 126.

² De inspiratione etc., p. 73—76.

³ De hac enim via argumentandi, quamquam optima temporibus illis, inquit tamen: „il serait néanmoins excessif d'affirmer que l'Eglise en ait rigoureusement besoin.“ L'Eglise et la critiq. bibl., p. 124.

⁴ De Inspiratione etc., p. 67.

numero nec P. Hummelauer est disiungendus¹, ac probe quidem, cum P. Hummelauer doceat Scripturam continere locos qui agunt de authenticitate².

At non videtur eo tantum omnibus numeris munus Ecclesiae expletum. Haec enim non modo propter divinae veritatis dogma Scripturam tenet in sua potestate, verum etiam propius quoniam Ecclesiae, ut in Concilio Tridentino et Vaticano statuitur, „est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum“³. Age nunc aliquando certe parvi refert quis librum composuerit, ac sine tali instrumento licet argumentum scripti, quantum sat est, mente cernere, ut in libris Iudicum, Samuelis et Regum evenit; interdum vero illud multum interest, atque dignitas et amplitudo sententiarum, mutatis scriptoribus, copiose augentur vel minuuntur valde: quis enim poterit negare Evangelium maiore pollere auctoritate quando fuerit a locupletissimo teste Matthaeo confectum, vel a Petri auditore Marco vel a Luca familiari Pauli, quam si exaratum ab ignoto Apostolorum discipulo? Ex quo efficitur officium Ecclesiae interpretandi Sacras Litteras nonnumquam petere ius definiendi scriptorum quaestionem. Sed hic alia causa sat obscura occurrit, illud Ecclesiae munus Divinos Libros explanandi longene lateque pateat? an terminis solummodo exiguae regionis circumscribatur? Concilium Tridentinum et Vaticanum solemnibus verbis decreverunt ius Ecclesiae valere „in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium“⁴, quod quidem nullo prorsus modo ab Ecclesia detrahit facultatem exponendi Scripturas in omnibus locis, quia ubicumque agatur de veritate litteris caelestibus consignata, ibi veritatis Scripturarum dogma in disputatione versatur, eoque ipso ibi ius quoque Ecclesiae viget. Insuper autem quaerere oportet utrum, veritate etiam praetermissa, Ecclesia imperium teneat in Libros Sanctos, ac proinde in sua potestate sit authenticitatem per se definire. Videtur res ita se habere, et aliquantum, credo, id confirmatur dogmate authenticitatis ab Ecclesia constituto. Nam, ut supra significavimus, Libri Divini ex duplici

¹ Dictionnaire Apologétique, loc. com., p. 794.

² Cf. Exegetisches, p. 119 et 120.

³ Concil. Trident. Sess. IV; Vatic. Sess. III, cap. II.

⁴ Ibid.

constant authenticitate¹; iam vero divina authenticitas est causa cur opus aliquod sit canonicum; si ergo Ecclesia canonicitatem declarans, divinam authenticitatem corroboravit, non apparet ab ea alienum et humanam sancire, cum praesertim duae authenticitates tanto vinculo constrictae librum sacrum conficiant. Praeterea Ecclesia iure proprio alia etiam decreto sollemni constituit, quae Scripturam in se spectant, ut Vulgatae authenticitatem in Concilio Tridentino recognitam, et lectionem sacrorum voluminum tam saepe ab Ecclesia temperatam; quo res, de qua dicimus, liquidius fit verisimilis. Unde minime mirum si P. Lagrange in prima commentatione libri inscripti „La méthode historique“, disserens de iure ecclesiastico et de critica biblica, qua disputatio continetur de authenticitate, non timet nimis insistere in expositione potestatis Ecclesiae; quam ob rem eam crebro commendat, atque criticam et Ecclesiam defendit mirifice inter se convenire, primumque officium criticae arbitratur esse positum in obtemperazione auctoritati Ecclesiae². Patri Brucker autem ita persuasum est de illo ecclesiastico imperio, ut ipse operam iudicet potius consumere in ostendendo quanti Ecclesia fecerit criticae³.

Ex iis ergo quae exposuimus Ecclesiae ius manet stabile; reliquum vero est ut inquiramus an Ecclesia sollemni decreto aliquid in hac causa definiverit necne. P. Brucker existimare videtur Ecclesiam usu auctoritatem suam reapse comprobasse⁴. Attamen P. Höpfl iam in opere „Das Buch

¹ Nr. 101.

² „Je voudrais bien plutôt montrer... comment la critique actuelle, loin d'ébranler l'autorité de l'Eglise, a bien plutôt mis dans une meilleure lumière la solidarité de l'Ecriture et de l'Eglise“, p. 10. „Le premier devoir de la critique biblique est d'être soumise à l'autorité de l'Eglise catholique. Et cela résulte nécessairement du principe même de la Révélation“, p. 12.

³ Cf. L'Eglise et la critique biblique, p. 16 et seq.

⁴ „Si les questions de la „haute critique“, en général, et la question des auteurs des livres inspirés en particulier, ne sont pas de questions théologiques, c'est à dire sont étrangères à la révélation, indifférents pour le dogme, l'Eglise n'a ni le droit ni le pouvoir de les trancher en vertu de son infaillibilité. Or, pour plusieurs elle s'est pratiquement attribué ce droit et ce pouvoir. Je ne rappellerai que la question des auteurs des Evangiles et des autres livres du Nouveau Testament.“ Etudes des Pères de la Compagnie de Jésus. Tom. 102 (1905) I, p. 266.

der Bücher“ contrariam tenet sententiam¹, quam modo renovavit: „Ecclesiae magisterium de auctoribus humanis librorum divinorum hucusque nihil in sensu proprio definivit².“ Commissio de Re Biblica ceteroquin, necessitati temporis consulens, ex tredecim responsis usque ad hanc diem redditis in octo tractat authenticitatem Pentateuchi, Psalmorum, Isaiae, quattuor Evangeliorum, Actorum, epistolarum pastoralium et ad Hebraeos. Huiusmodi vero sententiis, ut in Motu proprio „Praestantia Scripturae“ dicitur, „universos omnes conscientiae obstringi officio . . . perinde ac Decretis Sacrarum Congregationum pertinentibus ad doctrinam probatisque a Pontifice, se subiicendi³“; sed quia, auctore P. De Groot O. P., „decretorum genus, quae communi tantum Pontificis approbatione et ut actus congregationis eduntur, gravissimum quidem, non infallibile tamen, theologo praebent argumentum⁴“, ideo P. Höpfl, eiusdem Commissionis Consultor, inquit: „decisiones Commissionis Biblicae non sunt infallibiles, sequendae tamen sunt tamquam normae directivae ab iis, qui sacras litteras tradunt, ita quidem ut non liceat temere ab eis recedere⁵.“ Unde responsiones Biblicae Commissionis non sunt habendae tamquam sollemnia dogmata. Merkelbach autem illa decreta opinatur esse signum indicans Ecclesiam quod suum est repetere⁶.

Ex hoc etiam efficitur traditionem ecclesiasticam una cum fontibus diversis, ex quibus ea exsistit, non esse contemnendam et abiiciendam in quaestione de scriptoribus, quia potest exprimere doctrinam indirecte fidem attingentem, atque Ecclesiae iudicium quandoque exhibere. Id vero plene convincitur cum responsa evolvuntur Commissionis Biblicae, et perspicitur quam magni ea Traditionem aestimet, amplissimisque ornet verbis: „Ecclesiae quoque constanti tra-

¹ „Über die Abfassungszeit und den menschlichen Verfasser der einzelnen biblischen Bücher hat dagegen das unfehlbare kirchliche Lehramt keine autoritative Entscheidung gegeben“, p. 138.

² Introd. in s. Vet. Test. libros, p. 36.

³ Cf. Camerlynck, Comp. Intr. gener. I, p. 33.

⁴ Summa Apologetica, p. 642.

⁵ Introd. etc., p. 36 et 37.

⁶ „Le fait que la Commission biblique s'en est occupée à diverses reprises, indique qu'elle regarde la question comme doctrinale, et semble plutôt une indication que l'Eglise revendique son droit et entend se prononcer un jour.“ L'inspiration etc., p. 87.

ditione¹ „ex constanti, universali ac sollemni Ecclesiae traditione² „universali et a primis saeculis constanti Ecclesiae consensu³ „luculentum traditionis suffragium inde ab Ecclesiae primordiis mire consentiens ac multiplici argumento firmatum⁴ „perspecta potissimum Ecclesiae universae traditione usque ad primaevos ecclesiasticos scriptores assurgente⁵ „prae oculis habita Ecclesiae traditione inde a primordiis universaliter firmiterque perseverante⁶. Similiter cum testimonia ducuntur ex traditionis monumentis, Iudaeorum opinio non exprobratur, sed „perpetua consensione populi iudaici“ authentia Pentateuchi defenditur⁷; maiore autem honore agitur de „disertis Sanctorum Patrum et scriptorum ecclesiasticorum testimoniis“, quibus non modo ostenditur Marcum et Lucam fuisse scriptores Evangeliorum⁸, sed Ioannem, Matthaeum, Lucam Actuum, Paulum epistolae ad Hebraeos⁹. Alia documenta a Commissione Biblica commemorata in responsionibus sunt: canones et catalogi librorum, tituli Psalmorum, codicum inscriptiones, codices manuscripti, versiones, Summorum Pontificum sacrorumque Conciliorum acta, ususque liturgicus Ecclesiae. Non autem id oportet oblivisci, quod ante diximus de Patribus¹⁰ et nunc ad omnes locos hic enumeratos transferendum, huiusmodi nempe testimonia aliquoties claudicare, propterea eadem Commissio negat omnes Psalmos esse uni David adscribendos, contra sententiam plurium Patrum et Doctorum atque appellationes in antiquis collectionibus et Conciliis usurpatas¹¹. De authenticitate igitur hactenus.

106. De variis scriptoribus unius libri. — Libri sacri ea forma qua ad nos permanarunt plerumque

¹ Cum apud Camerlynck aliqua desint decreta, inde ab hoc locoutimur alio opusculo, Documenta ad Pontificiam Commissionem de Re Biblica spectantia, ex mandato eiusdem Commissionis collegit et edidit Leopoldus Fonck S. J. Romae, 1915, p. 26, de authentia Pentateuchi. Dub. I.

² De auctore quarti Evangelii. Dub. I, p. 27.

³ De auctore Evangelii sec. Matth. Dub. I, p. 34.

⁴ De auctoribus Ev. sec. Marc. et Luc. Dub. I, p. 36.

⁵ De auctore Actuum. Dub. I, p. 39.

⁶ De auctore epistularum pastoralium. Dub. I, p. 41.

⁷ Dub. I, p. 25 et 26.

⁸ Dub. I, p. 36.

⁹ Cf. Dub. I, cuiusque decreti.

¹⁰ Nr. 102.

¹¹ De auctoribus Psalmorum. Dub. I, p. 32.

sunt ab uno scriptore exarati, nonnumquam vero a pluribus, qui tamen dissimiliter in hoc munere se gesserunt. Sunt enim aliquoties veri scriptores diversarum partium quibus omne opus continetur, cuiusmodi est Psalmorum volumen magna ex parte complectens Davidis carmina, quibus accedunt reliqua, secundum titulos, dum *lamed* scriptorem designet, composita a filiis Core, ab Asaph, Salomone, Moyse, Eman, Etham et a poetis Psalmorum titulo carentium. Aequè liber Proverbiorum ex hortatione et sex collectionibus constat, quarum una exhibet Salomonis 375 proverbialia, altera 127, probabiliter excerpta ex 3000 parabolis ab hoc rege prolatis; utrique harum collectionum aliae duae minores adiunguntur, priori duplex collectio a quibusdam sapientibus repetita, ut de prima in volumine graeco dicitur, *λόγοις σοφῶν* (XXII, 17), de secunda in hebraico *מִסְתָּלֵף* (XXIV, 23); posteriori autem proverbialia Agur, filii

Iakeh ac Lamuelis regis. Liber igitur totus opera quorundam hominum inspiratorum est confectus: illi quidem nominibus Agur et Lamuelis nuncupati, dein viri Ezechiae regis, qui Salomonis parabolas iterum congregarunt, ii post, qui primo eiusmodi proverbialia et verba sapientium collegerunt, postremo vir qui hortationem composuit. At Salomon forte non fuit inspiratus cum parabolas inveniebat, alioquin eodem privilegio gauderent 3000 parabola et 1005 carmina, ut I Reg. IV, 32 refert, ab eo contexta; sed scripta Salomonis ab eo qui afflatus divinitus collectionem redegit, tamquam fontes videntur fuisse usurpata; idem tenendum est de sententiis sapientium.

Altera confluendi ratio multiplices scriptores in eiusdem libri confectionem reperitur interdum in Vetere Testamento, cum vir aliquis inspiratus res gestas monumentis commendavit, sed postea, tempore decurrente, alii sancti scriptores opus prioris narratione proximorum factorum perfecerunt. Hoc tamen in loco non modo est supersedendum scribarum mendis, verum etiam emendationibus deliberatis, quae saepe usu aut in Psalmis veniebant, quo melius ea carmina ad usum religiosum accommodarentur, aut aliis in scriptis ne quis occasionem haberet ad verba Dei vituperanda, et standum unice in partibus ab inspiratis scriptoribus interpositis. Huius rei Pentateuchus praeclarum est exemplum, in quo sunt quaedam post Moysen addita; ipsa Commissio

Biblica istud non negat: „salva substantialiter mosaica authentia et integritate Pentateuchi, admitti possit tam longo saeculorum decursu nonnullas ei modificationes obvenisse, uti: additamenta post Moysis mortem vel ab auctore inspirato apposita¹.“

At quandoque vir quidam praecellens ea ex quibus liber praecipue exstitit alteri suppeditavit, qui totam materiam digessit ac locupletavit litterisque ornavit. Huc spectat illa causa etiamsi a Commissione Biblica non statuta tamquam vera et germana, nihilominus probabilis iudicata, eoque ipso per se non repugnans inspirationis notioni: „eorum hypothesis permitti possit qui existimant eum (Moysen) opus ipsum a se sub divinae inspirationis afflatu conceptum alteri vel pluribus scribendum commississe, ita tamen ut sensu sua fideliter redderent, nihil contra suam voluntatem scriberent, nihil omitterent; ac tandem opus hac ratione confectum ab eodem Moyse principe inspiratoque auctore probatum, ipsiusmet nomine vulgaretur².“ Praeterea ad hoc genus revocari potest volumen Ieremiae, quia crebro ibi sermo est de hoc propheta velut si alius de illo loqueretur, eius insuper nomen aliquando introducit; ex quo fit Baruch, eiusdem familiarem, argumento Ieremiae servato, arbitrato suo opus texisse. Neque in Novo Testamento huius generis deficit specimen ab epistola ad Hebraeos mire praestitum; si enim conceditur Paulum alteri non incio quidem viro materiam suggessisse epistolae, quam elucubrari expetebat, et Apostolus iure optimo et ille qui eam texuit habendi sunt scriptores. Unde Commissio de Re Biblica „Negative, salvo ulteriori Ecclesiae iudicio“, respondet quaesito: „Utrum Paulus Apostolus ita huius epistolae auctor censendus sit, ut necessario affirmari debeat, ipsum eam totam non solum Spiritu Sancto inspirante concepisse et expressisse, verum etiam ea forma donasse qua prostat³?“

In quibusdam demum litteris S. Pauli simul cum Apostoli nomine eius quoque collegae inscribuntur, Timotheus scilicet in epistolis ad Philippenses, Colossenses et ad Philemonem, Silvanus ac Timotheus in duabus ad Thessalonicenses. Eae autem inscriptiones communiter nomina

¹ De mosaica authentia Pentateuchi. Dub. IV, loc. com., p. 26.

² Ibid. Dub. II.

³ Dub. III, loc. com., p. 43.

ferunt scriptorum, attamen ex illarum epistolarum contextu, qui totus personam ostendit Apostoli, obtinetur Timotheum ac Silvanum non fuisse reapse scriptores, sed a S. Paulo eo eximio affectos honore ut secum inscriptionem ornarent. Subtilior autem est disputatio an scriba epistolae ad Romanos divina inspiratione vere fuerit particeps cum illud impressit: „Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam, in Domino“ (XVI, 22); atqui non sunt rationes ut Tertius inspiratione privetur, quandoquidem sua sponte aliquid posuit, quod revera ad opus pertinet inspiratum.

107. De sacrorum scriptorum conditionibus. — Quaestione de numero inspiratorum hominum absoluta, necesse est eorum notas reddere atque indagare utrum quisquis humani generis aptus habeatur ad conscribendum inspiratus divinum aliquem librum. In promptu est hoc modo se res habere, tum si ratio consideretur universa instrumenti, tum magis si agentis principalis natura. Etenim quivis homo potentiam habet obedientialem, quae sola postulatur ad munus exsequendum scriptoris instrumentalis¹; quicumque ergo, eo ipso quod sit homo, ex se potest instrumentaliter exarare volumen inspiratum. Neque agens principale huius vel illius hominis indiget, quia sua virtus non circumscribitur certo instrumento²; proinde quodcumque valet suscipere. Haec ratio iam oritur a natura principalis agentis etiam humani; cum vero Deus in medio ponitur, ea magnopere augetur, ut Ioannes a. S. Thoma in quaestione de Sacramentis exponit: „In instrumentis quae assumuntur ab agentibus naturalibus aliquid est in instrumento, quo indiget agens naturale ad suum effectum, et ideo non potest aequaliter agere uno instrumento sicut alio; sicut non potest quis scribere securi, sed calamo; et ideo agens naturale non praevenit in instrumento suo omnem ordinem ad effectum; at vero Deus aequè bene potest gratiam producere ablutione et ambulatione, aut quavis alia re; unde non supponit in instrumento aliquem ordinem ad effectum, sed omnem ordinem ipse praevenit, et ab ipso derivatur, ergo non debet esse inchoativa virtus in instrumento Dei³.“ Quod si nulla tenetur necessitate Deus certo homini in-

¹ Cf. nr. 100.

² Cf. III, Q. 56, a. 1, ad 2.

³ De Sacram. in genere. Q. 62, Disp. 24, a. 1. Dub. 8. 2^a. Concl.: Non consistit in potentia obedientiali activa.

spirationis gratiam impertiri, quando id facit, potest hominem quem voluerit gratuito eligere. Qui autem tanto fuerunt officio concrediti? Eventus certe hoc illustraret; at pauca scimus etiam de scriptoribus qui ad nos pervenerunt. Ipse liber est optimum omnium testimonium: sic, quamquam de Iuda, exempli gratia, perpauca indicet, tamen de S. Paulo eius epistolae et Actus Apostolorum tot proferunt ut facillime Apostoli vita distincte percipiatur. In Vetere Testamento obscura sunt omnia, nihilo secius in prophetis qui litteris vaticinationes mandarunt, intueri fas est consilium Dei de scriptorum delectu; nam prope Isaiam et Danielelem nobili genere natos atque Ieremiam, Ezechiam, Zachariam generatos ex sacerdotum familia inter omnes eminet plurimum rusticanus vir Amos.

Sed aliquae notae communes, propriis uniuscuiusque omissis, in omnibus paene scriptoribus inveniuntur, quarum sanctitas est praecipua. De hac S. Thomas agit in quaestione de prophetia, cum illud ponit: „Utrum ad prophetiam requiratur bonitas morum¹.“ Id negat; primum quoniam aliae sunt facultates in quibus charitas et cognitio insunt: haec ad rationem pertinet, alia ad voluntatem, deinde finis quoque non est idem, propterea quod charitas eo spectat ut coniungantur homines cum Deo; prophetia vero, ut Ecclesiae subveniatur. Probitas ergo non est necessaria conditio prophetarum sacrorumque scriptorum; attamen in eis generaliter insidet, ut expedite comprobatur in medium chorum revocando scriptorum Litterarum Sacrarum. Ceterum hac in re unus est omnium consensus. Iudaei enim sua monumenta existimabant a prophetis conscripta, viris nimirum summa sanctimonia praeditis². In Novo Testamento etiam quandoque reperitur scriptores Veteris cognomento sancti laudari, velut Zacharias facit in carmine Benedictus: „sicut locutus est per os sanctorum“ (Lc. I, 70), pariter Petrus in concione (Act. III, 21) et in II Epist., „Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines“ (I, 21 et III, 2). Patres autem hanc sententiam crebro scriptis patefaciunt; satis est hoc tempore auctores Hieronymum et Originem afferre. Ille opinatur cunctos mortales, nec sacris

¹ II. II. Q. 172, a. 4 et Q. D. De Verit. Q. 14, a. 5. Nunc et alias ideo argumenta sumuntur a disputatione prophetiae, quia S. Thomas inspirationem ponit in prophetiae speciebus.

² Cf. nr. 4 et 5.

scriptoribus exceptis, offendere: et tamen a minimo usque ad maximum errare cunctos, et errare super montes: Moysen, Ieremiam, ceterosque Prophetas, Evangelistas et Apostolos¹; idem fere dicit alio loco: „Et in Psalmis dicitur. ‚Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens‘. Non ait, ‚non iustificabitur omnis homo‘ sed ‚omnis vivens‘, id est, non Evangelista, non Apostolus, non Propheta²“. Originem autem existimat Zöllig non solum defendere sanctitudinem scriptorum, sed etiam eos hoc privilegio ceteros longe superasse³. Consuetudo insuper appellandi sanctos scriptores inspiratos penetravit in ecclesiastica documenta; unum proponamus exemplum Concilii Florentini: „utriusque Testamenti Sancti locuti sunt⁴“. In hoc igitur concentu maxime divina providentia elucet; at si quis exstitit scriptor minus integer, utpote Salomon, si Canticum Canticorum post depravationem composuisset, vel alius eorum cuius memoria fuit perdita, ad eos id traducere oporteret quod Angelicus Doctor de prophetis dicit: „In hoc Deus optimus ostenditur quod non solum bonis sed etiam malis novit bene uti: unde nihil summae bonitati derogatur, si per malos prophetas bonum prophetae officium administrari facit⁵“.

Sapientia est altera proprietas, quae domicilium in sanctis scriptoribus collocavit, sapientia non certe profana, sed religiosa et divina, qua splendide commentaria coelestia illustrantur. Ut hoc percipiatur, opus erit, ut D. Beda Leble OSB. censet, comparare Libros Divinos cum ceterarum gentium monumentis; ita ostendetur litteras Iudaeorum primas omnium tenere⁶. Quid vero de Novo Testamento? Causa solis luce clarior est.

¹ In Isaiam. Lib. VII, cap. XXII, v. 4—6. P. L. 24, 278.

² Epist. 21 ad Damas. cap. 40. P. L. 22, 393. Cf. Ludwig Schade, Die Inspirationslehre des hl. Hieronymus, p. 15.

³ „Mit diesem Zugeständnis läßt sich die Identität der Prophetengabe mit der gewöhnlichen Geistesfülle der Frommen nicht in Einklang bringen. Jene ist somit von dieser spezifisch, nicht nur graduell verschieden; sie ist eine besondere, auf den Boden des allgemeinen Gnadenstandes erwachsene Gnadengabe, welche sich allerdings weiter als nur auf die Verfasser der erhaltenen kanonischen Schriften ausdehnte.“ Die Inspirationslehre des Origenes, p. 65 et 66.

⁴ Cf. nr. 24.

⁵ Q. D. De Verit. Q. 12, a. 5, ad 5.

⁶ „De plus, nos Livres saints, non seulement sont de loin supérieures aux écrits analogues des autres peuples d'Orient, mais dépassent même souvent le niveau du peuple juif, tel que la Bible et

Propositis conditionibus alia scriptoribus Novi Testamenti praecipua momento vincit, ea re quia coniungitur cum canonicitatis dogmate. Hanc igitur breviter perstringamus. Iesus Christus promisit Apostolis auxilia, ut ei digne exsequi ministerium valerent, praesertim cum doctrinam exponerent revelatam, quare dono infallibilitatis voluit eos praemunire. De hoc itaque adiutorio indagatur num inspirationem ad scriptum quoddam coniiciendum ita comprehendat, ut eo ipso quod Apostoli scriberent, sicut quando loquebantur, a Deo fuerint divinitus moti, quo pacto necessario habendum sit opus divinum et inspiratum. Protestantes instrumento Traditionis orbatii plures normas excogitarunt ad inspirationem librorum constituendam; in eo vero quod attinet ad Novum Testamentum Ioannes David Michaëlis invenit volumina opera Apostolorum exarata, propter privilegium apostolicum, fuisse divina inspiratione ornata¹; ob eamque rem Evangelium Marci et Lucae verisimile iudicat eadem dignitate carere². Catholicis plerisque ista sententia displicuit, aliquos tamen adiutores habuit, inter quos Can. Ubaldo Ubaldi; ast partim solummodo ii Michaëli assentiuntur, ac reiiciunt praesertim illam normam esse unicam, quo inspiratio subvenitur Evangelii Marci et Lucae. Sic Ubaldo Ubaldi „ad totam rem componendam, ait, imprimis concedimus munus apostolicum nullatenus habendum esse criterium unicum, seu exclusivum inspirationis librorum N. T. quasi nempe valeret hoc argumentum: hic aut ille scriptor non fuit Apostolus; ergo inspiratus non fuit

les autres documents nous le dépeignent. Il est donc raisonnable de voir là aussi une action de l'Esprit Saint, choisissant ses instruments parmi les esprits les plus distingués d'Israel, ou répandant en eux une lumière qui les élevait sensiblement au-dessus des autres." *Revue Benedictine*. Tom. XXII, 1905, p. 260.

¹ Agens de libris nomine Apostolorum in scriptis ait: „leur inspiration dépend de leur authenticité. S'ils sont écrits par les Apôtres auxquels on les attribue, nous les considérons comme divinement inspirés; s'ils ne sont pas écrits par les Apôtres, ils ne peuvent prétendre à l'inspiration." *Introduction au Nouveau Testament*, 4^e édition avec notes nouvelles par J. J. Chenevière, Genève, Paris, J. J. Paschoud, 1922. Tom. I, Chap. III, Section II, p. 116.

² De Evangelii Marci et Lucae id iudicat: „Dans la troisième édition de cet ouvrage je donnais les arguments pour et contre leur inspiration, incertain de quel côté de la question je devais pencher, quoique plus disposé pour l'affirmative; à présent, quoique je fasse part de mes doutes avec la même réserve, je suis plutôt enclin à la négative." *Section III*, p. 129.

aut de inspiratione eius librorum constare nequit. Sub hoc respectu criterium a Michaëlis propositum reiicimus et damnamus¹. Iudicio huius scriptoris eamdem tenent sententiam Graveson, Marchini, Liebermann, Knoll, Janssens, Glaire, Lamy aliique². P. Pesch autem „ex illo numero septenario, inquit, nonnulli sunt tollendi³“. Illa opinio usque ad nostram aetatem viguit. Dr. Franciscus Leitner in utramque partem disputat⁴. P. Pesch autem tantum Schanz in „Apologie des Christentums“ reperit sententiam, quam quaerimus, tutari: „Inter recentiores catholicos scriptores, qui de doctrina inspirationis egerunt (ab an. 1890), solus Schanz, quod sciam, defendit illam opinionem, apostolatam includere inspirationem ad scribendum⁵“. Lamy insuper etiam in opere Introductionis anno 1901 edito idem docet⁶; Dr. P. Dausch aequè illud statuit in opere „Die Schriftinspiration“ 1891⁷, atque 1912 idipsum iteravit in opusculo „Die Inspiration des Neuen Testamentes⁸“; Merkelbach quoque non negat eam rationem esse probabilem⁹. Talem vero sententiam ipse Dausch dicit adversari communi sententiae Theologorum¹⁰, ac revera refellitur a plurimis, ut a Schmid¹¹, Crets¹², Chauvin¹³, P. Zanecchia¹⁴, P. Pesch¹⁵, P. Hugon¹⁶,

¹ Introduct. in S. Scripturam. Ed. 3^a. Romae, 1886, vol. II, p. 77.

² Ibid. p. 76. Nota.

³ De Inspiratione, nr. 624.

⁴ Die prophetische Inspiration, biblisch-patristische Studie von Dr. Franz Leitner, Freiburg im Breisgau, 1896 (Biblische Studien). Apostolat und Inspiration, p. 59—63.

⁵ Apparatus, p. 106 et 107.

⁶ 6^a editione, p. 23 et 24.

⁷ „Die Inspiration der neutestamentlichen Schriftsteller baut sich auf den Charismen des Apostolats und Lehramts auf, weshalb auch von dieser ihrer schriftstellerischen Tätigkeit gilt, daß sie ihr Amt unter dem wunderbaren Einfluß des Hl. Geistes ausübten“, p. 37.

⁸ Eisdem fere verbis ait: „Die Inspiration der neutestamentlichen Schriftsteller baut sich auf den Charismen des Apostolats und Lehramts der Offenbarungsträger auf“, p. 8.

⁹ L'inspiration, p. 85. Nota.

¹⁰ „Die Ableitung der Inspiration des Neuen Testamentes aus dem Apostolat widerstreitet allerdings der herrschenden Ansicht der katholischen Theologen.“ Die Inspirat. des N. Test., p. 10.

¹¹ De inspiratione, p. 382.

¹² De divina Bibliorum inspiratione, p. 20 et seq.

¹³ L'inspiration, p. 69—73 et 92—96.

¹⁴ Divina inspiratio, p. 56 et seq.

¹⁵ Apparatus, p. 104 et seq. De inspiratione, nr. 602 et seq.

¹⁶ La Causalité Instrumentale, p. 37.

Cellini¹, Bainvel². Quid ergo in hac dissensione censendum est? Totum momentum huius quaestionis est in ratione situm auxilii divini Apostolis lati; eos enim satis erat manu Dei dirigi ne raperentur in errorem, quemadmodum et nunc Summus Pontifex privilegii Petri haeres fulcitur, cum aliquid ex cathedra docet; ab hoc autem longe distat vera inspiratio. Unde praesidium Apostolis in ministerio concessum non postulat necessario germanam inspirationem cum ii aut oratione doctrinam tradebant aut scriptis. „Ita, ut P. Zanecchia inquit, si munere apostolico consignassent scripto doctrinam christianam, fuissent infallibiles in consignatione illius, aut consignatio esset humana, non divina, seu liber divinus esset ratione argumenti et materiae, non vero ratione originis.“ Attamen restat aliud quaesitum non spernendum, nempe inspiratio, quam dicimus ab eo auxilio apostolico distingui, exstiteritne semper cum Apostoli praecepta scribebant, eoque, si epistola de qua S. Paulus in I Cor. V, 9 loquitur, et litterae ad Laodicenses in Ep. ad Colossenses (IV, 16) significatae atque illae plures ad Philipenses missae (III, 2) fuerint repertae, deberetur affirmare eas quoque inspiratione decorari necne. Contra istud possent adduci litterae coetus Apostolorum (Act. XV, 23—29), quae probabiliter non iudicarentur inspiratae. Sed ex alia parte nonnihil repugnat ex aequalibus Documentis, ut sunt epistolae in Novo Testamento conservatae atque ceterae perditae, aliis tribuere inspirationem, aliis ea privare.

(Sequitur)

¹ Propedeutica Biblica, vol. II, 1908, p. 18.

² De Scriptura Sacra, p. 168.

³ Divina inspiratio, p. 58.